STEPHANI VIGLIONII

IN AVERSANO SEMINARIO RHETORICES PROFESSORIS

ET

INTER ARCADES ROMANOS

ZEUSIDIS TAMIRIENSIS

DE UTILITATIBUS, QUAE IN HUMANAM SOCIETATEM

E CHRISTIANA RELIGIONE

PERPETUO DIMANARUNT

Academica Oratio

AVERSÆ IN CATHEDRALI ECCLESIA

HABITA ID. OCTOBRIS AN. A REP. SAL. M. D. CCC. LVII.



NEAPOLI

E TYPOGRAPHEO ANDREÆ FESTA

MDCCCLVIII

DOMINICO ZELO

AUSPICATISSIMO AVERSANORUM ANTISTITI

PII IX P. O. M. PRAELATO DOMESTICO

STEPHANUS VIGLIONIUS

IN AVERSANO SEMINARIO

RHETORICES PROFESSOR

ET

INTER ARCADES ROMANOS

ZEUSIDES TAMIBIENSIS

Ευχαιρειν και Ευκρατειν



De utilitatibus, quae in humanam societatem e Christiana Religione perpetuo sunt profectae, Oratiunculam hanc meam in lucem editurо, cui potissimum nuncuparem, non diu mihi, multumque fuit cogitandum. Tu statim, Amplissime Praesul, meae menti occurristi: tibi eam iure optimo deberi existimavi. Ut enim caetera, quae me in hanc sententiam adducebant, omittam, quod in hoc pietate, ac litteris non ultimo Neapolitani Regni Seminario rhetorem gero, atque huius generis scriptito argumenta, benignissimae tuae in me indulgentiae omnino referendum est acceptum: tu me, cum primum Aversa-

nam hanc cathedram moderandam suscepisti, nemine aut rogante, aut impellente, aut suadente, sed ipse per te summa tua voluntate a domestico otio, inertiaque ad amplissimam, Ecclesiae bono, pueros edocendi provinciam revocasti. Deinde ad Te copiosi huius fundi veluti dominum ex lege spectat quicquid in eodem fundo et excultum est, et enatum. Accedit illud, quod non minimum in se habet momentum, lucubratiunculam hanc meam gravissimum praeseferre Religionis argumentum: cecui potius dicanda ea erat? cuiusnam digniori nomine, atque auspiciis tutatam oportebat eam per typos e-

vulgari? Te profecto amplissimum Religionis Antistitem, suum sibi auspicem, et singularem patronum iure quodam illa suo vindicabat, quem nimirum et privatum hominem, et Pontificium tenentem clavum acerrimum perpetuo experta est vindicem, ac propugnatorem, vigilantissimum custodem, permunificumque amplificatorem. Quam enim gloriose, quamque praeclare et sanctissimis vitae exemplis, et legum opportunitate, et scriptorum salubritate, et impendiorum effusa largitate fueris hactenus de Religionis emolumentis, nitore, atque amplitudine meritus, et adhuc in dies merearis, neque vacat

ticio, neque tua me patitur modestia referre. Ceterum quicquid, et qualecunque demum est opusculum hocce meum pro tua in me satis iam, superque spectata benevolentia te libenter excepturum, meique in te grati animi, perpetuaeque observantiae testem, ac pignus habiturum spero. Sospitem, atque incolumen te D. O. M. in annos plurimos praestet.

Vale

Datum Aversae ex aed. Sem. X Kal. Martii An. Rep. Sal. MDCCCLVIII.

In specie autem fictae simulationis, sicut reliquae virtutes, ita pietas inesse non potest; cum qua simul et sanctitatem, et religionem tolli necesse est; quibus sublatis, perturbatio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, an pietate adversus Deos sublata, fides etiam, et societas humani generis, et una excellentissima virtus justitia tollatur.

Cic. de Nat. Deor. Lib. I. 2.



ORATIO

Neminem vestrum profecto esse arbitror, Auditores, quem lateat de uno summo, praestantissimoque Numine, qui singulari prorsus, atque admiranda providentia, et consilio, quaecumque in hac rerum universitate fiunt, et geruntur, administrat, regit, ac moderatur, insitam a natura ipsa hominum mentibus, insculptam, penitusque consignatam esse certissimam opinionem. Nulla enim fuit unquam tam immansueta, tam ferrea, et efferata gens, quae, qualem habere deceret Deum, quamquam ignoraverit, habendum tamen esse, in dubium aliquando revocarit. Ad quem videlicet venerandum, placatum sibi efficiendum, debitaque pietate prosequendum magnificentissima passim extructa templa, altaria excitata, religiosissimae institutae caeremoniae, a caeteris quibuscumque negotiis vacui solemnes dies dedicati, publicae, privataeque non sine gravi animorum, et corporum compositione, rituumque apparatione conceptae, adhibitaeque supplicationes, egregiae mactatae hostiae, sanctissimique destinati, et summo ab omnibus in honore habiti Sacer-

dotes. Tanta vero insedit semper non modo Graecorum, et Romanorum, qui universas nationes, atque gentes maxime omnium religione superarunt, sed et antiquorum admodum populorum animis divinae humanarum rerum providentiae persuasio, ut nihil publice, aut privatim molirentur, susciperent, agerentque, nisi Deorum suorum per oracula, atque auspicia perspecta voluntate, eorumque praesentissimo Numine, atque ope implorata. A Deo nimirum humanas pendere sortes, a Deo sapientissime mundum hunc administrari, ab eoque nobis agendi capienda primordia, rectissime arbitrabantur. Atque inde factum est, ut caeteris prudentiores, multoque consultiores apud omnes perpetuo politicos noncupati, et existimati sint Osiris aegyptius, Zoroastres persa, graecorum Orpheus, romanorum Numa, qui ad firmandas, ac melius constabiliendas suarum civitatum opes, dignitatem, incolumitatem nihil Religione, tamquam unico regnorum praesidio, antiquius habuerunt. Quae cum de falsis, atque ab omni parte vitiosis religionibus utpote a vera unius summi Numinis per hominum culpam, erroresque deformata religione profectis, gravissimis ignorantiae tenebris *obscuratum habentes intellectum* persapienter statuerunt homines, quid, obsecro vos, Auditores humanissimi, de sanctissima, ac divina Christi Religione affirmandnm arbitremini? Nonne Societatis humanae universae verissima, et praecipua parens, custos, munitissimumque propugnaculum iure optimo habenda ea est? Verum enimvero miserrimis hisce nostris temporibus *illustrioris*, ac *melioris notae* praepostera appellatione, nuncupatis, improbi, dissoluti, perfidiosi quidam homines extiterunt, qui praeclaro civicae charitatis obtentu, ac nomine, vanis insanientis sapientiae commentis imperitorum deceptis animis, et ad omne flagi-

tium sollicitatis, iustam a Deo constitutam dominationem contemnentes, maiestatem blasphemantes, florentissimas Europae provincias perturbarunt, miscuerunt, miserandum in modum dilaniarunt. Ut suas autem legibus soluti explerent liberius cupiditates, ut impunius grassarentur, ut ad sacrosancta quaecumque evertenda, et perfringenda iura valerent magis, cum societati consultum sese, ac provisum velle iniquissime iactitarent, funestum primum, ac perniciosum Christianae Religioni bellum indixerunt. Quorum impiae, ac pestiferae constringendae retundendaeque impudentiae gratia, illud nostra imprimis, qui ad omnem pietatem, ac Religionem intra Seminarii huius sacra penetralia a vigilantissimis moderatoribus et exercemur, et informamur, interesse visum fuit, quantum Christianae Religioni humana debeat Societas, academicis hisce nostris exercitationibus in medium, apertumque proferre. Atque in hoc genere tam copiosa, tamque infinita dicendarum rerum obversatur ante oculos seges, ut difficilius sit Orationis principium, quam exitum invenire, nec mihi, qui neque usu, atque exercitatione satis, et parum ingenio possum, mediocriter sane pertimescendum, ne tantum, tam amplum, tamque illustre argumentum pro sua sim dignitate pertractaturus. Verum illud unum ad dicendum aggredi haesitantem me vehementer excitat, et confirmat, quod apud gravissimos, ac religiosissimos, deque hominum Societate optime semper meritos viros agendum est hodierna die, quos aequitate, indulgentiaque sua meam dicentis infantiam complexuros, ac sustentaturos esse spero, certoque confido. Quae si mihi subsidia tribui, concedique sentiam, perficiam profecto, ut totius humanae Societatis Christianam Religionem propriam basim, ac validissimum fundamentum, quo nimirum, velut in aedificiis

stante, inclinante, ac ruente, stet, inclinet, aut ruat illa praeceps, necesse est, vestris prope oculis intueamini.

Et primum: ut, unde res haec tota proficiscitur, inde nostram exordiamur Orationem, exploratissimum illud est, et communi Politicorum suffragio comprobatum, nihil humanam Societatem esse aliud, quam concilia, coetusque hominum, qui ad unum aliquem sibi propositum consequendum finem, et summa voluntatum consensione, et pari consiliorum, atque actionum societate pro viribus adnituntur, eoque absolutiorem, et perfectiorem eam, quo magis secum invicem consentit, et colligata est, existimari. Ex quo sane hoc etiam consequatur, oportet, ut animorum coniunctionis, concordiaeque aptius, tenaciusque vinculis, quam legum severitate, suppliciorum metu, magistratuum potestate constare, et contineri eam fateamur. Quae cum ita sese habeant, nemo est profecto, ut opinor, qui non videat, praeter unam Christi Religionem ex universis, quae unquam extiterunt, aut exstiturae sint, Religionibus nullam sane aliam humanae societati et excitandae, et conservandae accommodatiorem, magisque conducibilem inveniri. Ita enim divinitus comparata est, ut natura, et ipsomet suo instituto ad unum, idemque communiter sentiendum, agendumque una omnium spectet maxime, et potentissima communionis interpres, et efficacissima conciliatrix iure, meritoque habeatur. Quae cum e diversissimis, disiunctissimisque populis, ac nationibus litterarum cultu, morum, legum, institutorum ratione sese inter immane quantum discrepantibus longe, lateque, terra, marique propagetur, per unius tamen divini Legislatoris principatum, per unius Fidei professionem, per unius summi Antistitis auctoritatem, per mysteriorum eorumdem, rituumque communicationem una est prorsus, eademque,

ut aptissimis veluti compactum, et coagmentatum membris unum constituat venustissimum corpus, et eam praecipuam ob causam a caeteris omnibus secernatur. Ad hanc ipsam vero confirmandam, et Christianorum animis altius insinuandam pulcherrimam veritatem quam multae passim, gravissimaeque in divinis illis tum vetusti, tum foederis novi libris sententiae, ac praeceptiones, quot ad significandam adumbrata symbola! quam multa et acute, et subtiliter a sanctissimis, et eruditissimis Ecclesiae Patribus, ac Doctoribus disputata, disserta, conclusa! Ecquid aliud, ut caetera brevitatis causa, praetermittam, ecquid aliud sibi voluerunt *de regno in seipso diviso desolando*, *de ovili uno*, *unoque pastore*, aliaeque ab humani generis Servatore allatae in Evangelio sapientissimae parabolae, et comparationes? Quid religiosissima Illius Deo Patri facta, et saepius repetita precatio, *ut unum essent sui*, *sicut ipse*, *et Pater unum sunt*? Nonne intimam, summam, absolutissimamque animorum nostrorum coniunctionem significarunt, et inculcarunt? Verum, quod summa, et caput est omnium, Charitas profecto est, cunctarum virtutum beatissima parens, strenuissima vindex, praeclara gubernatrix: non humana illa quidem, neque ullis aut Rhetorum praeceptionibus, aut excellentium Philosophorum disciplinis consignata, sed quam ille ipse Religionis Auctor, ac totius sanctitudinis fons, atque origo Christus Iesus e Coelo delatam agrestes, barbaras, inhumanas, omnibus flagitiorum sordibus inquinatas ipse per se edocuit gentes: quam admirandis suis consecravit, et confirmavit exemplis: quam novae huic, veraeque Religioni nulla unquam incurrentium hostium impressione labefactandae firmissimam posuit veluti basim, ac fundamentum, quam suorum assecIarum propriam praecepit esse notam, ac tesseram singularem:

quam nullis circumscripsit locorum, temporum, ac personarum adiunctis, ut non parentes modo, consanguineos, propinquos, vicinos, amicos, et necessitudine quacunque coniunctos, sed et inimicos ipsos amare, diligere, complecti, largis afficere, et cumulare beneficiis teneamur. Atque huius tantae, tam praestantis, egregiaeque virtutis pleni omnes sacri sunt libri, plena Doctorum volumina, plenae Concionatorum voces. At quanta illius ad hominum animos conciliandos, et obstringendos perpetua vis extiterit, et efficacitas, et quam ingentes ex ea humana societas retulerit, et adhuc in dies referat commoditates, luculentissimos testes appello viduarum, et quorumvis egenorum inopiae, ac solitudini sublevandae collata in medium privati aeris permagna patrimonia. Testes innumeros mendicorum greges appello non a caeteris modo, set et a ditioribus plerumque, ac potentioribus aut data suis ipsorum manibus quotidiana stipe sustentatos, aut sua secum una exceptos mensa, humanissimeque tractatos : Testes aegrotantium curandae valetudini excitata passim, atque omnibus tum ad animi pietatem, tum ad corporis commoditatem rebus, ac servitiis optime instructa nosocomïa. Testes ad tutandam puellarum pudicitiam, et puellorum, nullo omnino suscepto impendio, rectam institutionem peropportuna constituta Hospitia, atque Gymnasia, et a sapientibus moderatoribus integre, severe, sedulo administrata. Testes tot miserrimorum hominum millia e Turcarum, Maurorum, atque aliorum id genus barbarorum immani servitute a Christiana liberalissima largitate redempta, et in optatam libertatem vindicata. Testes populos, ac nationes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, quas Evangelicae charitatis insatiabili quodam ardore inflammati nostri Sacerdotes a Patriae, suorumque

iucunditate quam longissime abstracti per montes, ac sylvas, per nives, ac pruinas, per infestas latronibus, ac belluis regiones nullis laboribus, aut aerumnis fracti, ac debilitati ab errore ad veritatem, a licentia ad officium, a turpitudine ad honestatem, a vitiis ad virtutes, a feritate ad humanitatem, ab exitio, atque interitu ad salutem, ac vitam revocarunt. Testes veros hominum amatores, et acerrimos custodes, qui pestilentibus, et contagiosis per urbes, atque oppida grassantibus morbis; sua posthabita, alienae sese penitus saluti recreandae dediderunt, qui dies, ac noctes hac, illac, quo suam magis operam res postularet, inter cadaverum insepultos acervos, ac mortis metum discurrentes, et larga subsidiorum opportunitate, et opportuna alloquiorum suavitate morituros consolati, et mitiorem illis morbi acerbitatem, et tolerabiliorem mortem effecerunt. Testes teterrimas, et ad extremam internecionem inclinantes tam publicas, quam privatas extinctas Charitatis Christianae ope inimicitias, simultates depositas, carissimorum fratrum loco habitos, atque acceptos inimicos, et seditionibus compressis, metu, ac periculis liberatas civitates. Vos denique, mutae regiones, vos maria, insulae, portus, et sola terrarum ultimarum testes imploro. Quae est enim ora, quae sedes, qui locus, in quo non extent peraugustae huius virtutis impressa vestigia? Iamvero quod omnes sapientes, quod politici, et eruditi omnes sine ulla sententiarum varietate adfirmant, inficiari omnino non debet, a strenua videlicet, et accurata legibus obtemperatione, a Iustitiae, ac virtutum caeterarum cultura, et exercitatione, ab animorum expolitione, a Magistratuum moderatione, et abstinentia, ab Ordinum singulorum in suis quorumque officiis continentia, atque observantia totius humanae Societatis amplitudinem, incolumitatem, salu-

tem, et robur omne e propriis veluti radicibus emanare, et mirandum in modum efflorescere. Atqui ad universa isthaec bona cumulatissime comparanda, et sarta, tectaque diutissime conservanda Christianam unam Religionem, si divinam illius indolem, ac naturam paullo attentius inspiciamus et natam, et factam comperiemus. Cum enim bonitatis, et sanctitatis fontem, Deum ipsum auctorem, et conditorem ferat suum, et ipsa per se sanctissima sit, oportet, et originis suae praecipuum velut insigne praeseferat, ac profiteatur sanctitatem, non communem, non vulgarem, non tralaticiam, verum excellentem, egregiam, singularem; quam in sacrorum procuratione, in legibus, institutis, in administris, in suis cuiuscunque classis cultoribus integerrime praescribit custodiendam. Et certe : nemo unus, nisi Religionis penitus rudis, potest ignorare, quantum, quamque grave, et implacabile Illi sit cum flagitiis, ac flagitiosis bellum, quam sedulo, quam enixe, et studiose, ad natorum suorum, et puerorum imprimis, atque infimae plebis expoliendos animos, et salutaribus doctrinis informandos continenter adlaboret. Quanta legum severitate, verborum, ac rationum gravitate, poenarum comminationibus, praemiorum largitate in vetitum nefas sponte sua ruentes homines a sceleribus deterreat, a vitiorum corruptela defendat, et culparum initia ipsa, taciteque obrepentes coërceat cogitatus : ad virtutes autem maximo excolendas opere, et impigre exercendas vehementer inflammet. Quam religiose, quam graviter, quam multis, inviolatam mulieres inter, ac viros fidem, ac mutuum amorem, liberis in Parentes, ac natu Maiores obsequium, atque observantiam, Parentibus in liberos indulgentiam, famulis in dominos obedientiam, Dominis in famulos benignitatem, ac temperantiam, civibus in Magistratus reveren-

tiam, ac timorem, Magistratibus in cives benevolentiam, quae cuique debentur officia, studiosissime persolvenda insinuet, inculcet, iniungat. Quae sane omnia, si aliqua dumtaxat ex parte servarentur, neque discordiarum clamores, ac lamentationes domesticos intra parietes exaudirentur, neque in foro dolus, ac fallaciae dominarentur, neque in compitis licentia grassaretur, neque seditionis incendio castra conflagarent. Nullas latronum insidias, nulla itinerum pericula, nullam bellorum vastitatem, non ambitiosorum potentiam, non avarissimorum hominum acerbissimam cupiditatem, non maleferiatorum effraenatam audaciam, neque alia id genus mala, quibus magnopere conflictamur, timeremus; omni autem in loco, ac sede pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque maximam haberemus. Atque ab ea sane fuit causa, cur praeclarissimum illud Christiani nominis lumen, et ornamentum Augustinus gravissimam hanc sententiam sempiternae saeculorum memoriae commendarit: *Proinde qui doctrinam Christi adversam dicunt esse reipublicae, dent exercitum talem, quales doctrina Christi esse milites iussit: dent tales provinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales servos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum redditores, et exactores ipsius fidei, quales esse praecepit doctrina Christiana: et audeant eam dicere adversam esse reipublicae, imo vero dubitent eam confiteri magnam, si obtemperatur, salutem esse reipublicae* (a). Quod, ut planius dignoscamus, ipsummet, quaeso, divinarum legum sanctissimum volumen inspiciamus. Non potest profecto illud, ne carptim quidem delibari, quin singulis quibusque pagellis ab omni vel levissima sceleris foeditate protinus

(a) Epist. I ad Marcellinum.

abhorreas, atque ad iustitiam, temperantiam, continentiam, charitatem, malorum tolerantiam, iniuriarum oblivionem, enixam legum obedientiam, ad universam in summa morum sanctitatem vehementer inciteris, et componaris; tanta inde gratia, et suavitas, tanta persuasionis vis, et efficacitas emanat! In eximiis illis Sapientiae, Proverbiorum, Ecclesiastae, et Ecclesiastici, ut de caeteris taceam sacris codicibus, quanta ad cunctos vitae gradus, et rationes accomodata conducibilium rerum cognitio! quot saluberrimae ad humanarum aegritudinum sananda vulnera praescriptiones! quot ad virtuti obluctantis naturae acuendam tarditatem, praeacuti veluti stimuli, efficacissimae voces, et cohortationes! Evangelio autem, praeterquam quod nomine ipso suo amplissime commendatur, cum ab ipsissima divina Sapientia e summi Numinis mente haustum, et expressum ad nos sit coelitus allatum, nihil profecto praeclarius, nihil praestabilius, nihil divinius cogitari, aut affirmari potest. Quid vero D. Pauli meritissimo Gentium Doctoris nomine nuncupati, quid Petri, et Iudae, et Iacobi pretiosissimas, vereque aureas epistolas commemorem? Ecquis eas si vel unum, aut alterum summatim excurrat caput, officii, honestatis, gravitatis, amoris plenissimas non deprehendat? Ecquis vitiis radicitus extirpandis, virtutibus in animis inserendis, moribusque apprime conformandis mirifice comparatas non experiatur? Ecquis eloquendi suavitate, rationum gravitate, documentorum copia, ac praestantia non suspiciat, et admiretur? Heic vero, quamquam opportunus fortasse inciderit locus, ne mea tamen longe, lateque pervagetur oratio, non sum praedicaturus egregios Christianae Religionis Philosophos, eruditione, et sanctimonia excellentes Doctores, ac Patres, cum quibus nihil profecto commune habent et Platones,

et Aristoteles, aliique pervetustae antiquitatis laudatissimi philosophorum principes, qui non futilem, ac vanam quamdam aeque, atque illi, sed solidam, sinceram, fructuosam tradunt sapientiam, quamque suis mellifluis scriptis consignarunt, plenis eam faucibus hauriendam lectoribus donant felicitatem. Equidem, ut de me aperte confitear, quoties aut Scripturae sacrae, aut alicuius e Doctoribus illis, ac Patribus in fortuitam quoque incidam lectionem, tantam inde voluptatem percipio, adeoque mentem afficior, ut caetera continuo poeniteat, unamque toto animo, et studio omni expetendam virtutem, ea vero excepta, nihil magnopere in vita requirendum constituam. Sed agite nunc, Auditores, considerate, et vobiscum una reputate non Aegyptiorum modo, Assyriorum, ac Medorum, sed et ipsarum caeteris humaniorum Athenarum, ac Romae monstrosas, omnique superstitionum genere abundantes religiones; sapientissimas illas, quales apud omnes existimatae sunt, a Solone, Lycurgo, Numa Pompilio perlatas leges, Romanorum Augurum, ac Pontificum scita, consulta, decreta omnia diligenter inspicite, si forte vel cum uno quotocunque e sanissimis bene, beateque vivendi nostrae Religionis principiis aut excellentia, aut utilitate valeant comparari. Ut mendaciis, et inaniis constant universa! universa turpitudinis, errorum, impietatis, et si quid gravius affirmari potest, ad satietatem, et fastidium plenissima sunt! Nulla in illis modestiae, nulla pudoris, nulla continentiae ratio. Obscoena, et crudelissima ad oblectationem spectacula, impia, et exitiosa ad gloriae cupiditatem concessa bella, ingeniosa ad latrocinii exercitationem laudata furta, promiscua ad libidinem connubia, impudicae permissae saltationes, et alia de hoc genere innumerabilia, quae ne nominem quidem, loci huius auctoritas facit. Illud vero

non modo cognitu, sed et auditu teterrimum est, inhonestissima Diis ipsis, ut honestarentur, et quodammodo scelera consecrarentur, afficta dedecora, maximisque impudentia dedicata caeremoniis. Atque ex impurissimo isthoc vitiorum fonte in gentes eas omni iam iniquitate repletas derivatae illae sunt insignes morum depravationes, vivendi intemperantia, inauditae libidines, nefariae proditiones, clandestinae ad aliorum perniciem molitiones, intoleranda tyrannorum impotentia, acerbissimae Magistratuum rapacitates,acerrimae principes inter de imperio contentiones, in mutuas suiipsorum caedes armatus, atque incitatus civium furor: confusa, et permixta divina, atque humana iura omnia, et belluis quoque abominata flagitia. Verum, ut aliena, et vetustate a nobis satis remota dimittamus, quid, obsecro vos, Auditores ornatissimi, quid superioribus nostris temporibus religiosissimam antehac, atque adeo florentissimam Hispaniam, quid Europae universae pulcherrimas regiones, et Romam imprimis, quo totius terrarum orbis improbitas, atque perversitas compulsa demum fuit, contagioso veluti tentatas morbo afflixit, vexavit, labefactavit? Christianae Religionis contemptus. Quid cessantes populos ad tumultus, et internecinas seditiones excitavit? quid in constitutas lege potestates, ac Magistratus civium furorem accendit? quid ad perniciem, et exitium dexteras armavit? Christianae Religionis contemptus. Quid liberorum, ac parentum animis insitam a natura charitatem dissolvit, aliosque ab aliis in longe diversas terrarum plagas miseros, et aerumnosos abduxit? Quid affinium, et propinquorum, quid ordinum caeterorum coniunctiones maximas dissociavit? Christianae Religionis contemptus. Quid sceleratissimorum audaciam, quid levissimorum hominum temeritatem corroboravit? quid iuventuti

ad licentiam, ad iniuriam, ad impietatem praetulit facem? Christianae Religionis contemptus. Quid ad privatorum impune diripiendas fortunas flagitiosam latronum incitavit manum? quid opulentas, optimeque fundatas familias disiecit, ac profligavit? Christianae Religionis contemptus. Quid denique ad divinas, atque humanas negligendas, perfringendasque leges, ad omnia Maiorum extinguenda instituta quam maxime valuit? quid per agros vastitatem, per amoenissimas civitates civili sanguine redundantes solitudinem disseminavit? Idem Religionis contemptus. Prius enim, quam tanta malorum colluvies in societatem irrumperet, et miserrime baccharetur, quid impii, quid scelesti, quid portentosi in Sacrosanctam nostram Religionem novarum, ac meliorum rerum excellentes artifices, atque instauratores excogitarint, et effutierint, quam occultam Illi sint pestem machinati, cum probe ipsi per vos noveritis, ne commemorando obducta nondum vulnera cogar refricare, sinite me praeterire. Sed iam tempus est, ut ingenuis de litteris, scientiisque universis quam praeclare nostra merita sit Religio, quoniam latius evagari temporis angustiae non patiuntur, summatim videamus. Quid? ut omittam potentissimam, et flexianimam virtutem illam, quae unius illius propria est, rudes nempe puerorum animos naturali spoliatos rusticitate emollire, mitigare, ac praeparare ad quaecunque bona semina percipienda, quae adulta uberrimos fructus ferant, qua sane ratione summa litterarum moderatrix rectissime illa potest appellari; ut amplissima, et honestissima omittam praemia, quibus eas ab ipsis suis incunabulis perpetuo excitavit, aluit, amplificavit; quod adhuc illae vivant, quod vigeant, quod magno in honore apud omnes gentes habeantur; totum id, totum, inquam, Christianorum Religionis muneris

fuit, ac largitatis. Cum enim ab irruentibus magno cum impetu barbarorum copiis exagitarentur, ac nullus ubique gentium daretur consistendi, et quiescendi locus, non alibi profecto, quam intra munitissima Religionis claustra perfugium, tutamen, ac praesidium invenerunt, ubi certum, atque perpetuum collocarunt divitiarum suarum domicilium. Ab omni vero Christianae rei memoria per viros eximia ingenii capacitate praecellentes, otio maximo, summa sedulitate, industriaque expolitae, et elaboratae multo illustriorem, quam a suis acceperant auctoribus, dignitatem, atque splendorem sunt consecutae. Ab augustissima demum summi Numinis, et virorum immortalium laudatione, ab sanctissimorum mysteriorum procuratione, ab doctrinarum maximarum tractatione summum attigerunt gloriae fastigium, et nunquam occasurum sibi decus arrogarunt. Nihil autem de pictura, atque aliis de bonis artibus dicam, quae Christianae Religionis beneficio ab impudentia, ab impietate, a turpitudine, quas e vana Deorum superstitione susceperant foedissimas labes, ad pudorem, sinceram pietatem, atque honestatem revocatae incredibilem existimationem, atque immortalitatem sibi, atque artificibus suis conciliarunt. Te unam hoc in loco, ubi mea maxime triumphat, et exsultat oratio, te fortunatissimam, et perennem artium bonarum parentem, altricem, vindicem, ac diligentissimam custodem, te, Roma, testem appello: tu certe innumerabilium martyrum sanguine, et pretiosissimis reliquiis longe clarior, atque gloriosior modo affulges, quam occisorum olim regum, ac devictarum nationum spoliis decorata quondam effulgebas: tu Christianae Religionis sanctimoniae, atque magnificentiae quantum debeas, tot augustissimae Basilicae, tot sumptuosissima templa, tot pietati posita praeclarissima monu-

menta, in quibus cum auri, atque argenti copia, cum pulcherrimarum gemmarum splendore operum varietas, atque artis excellentia certare videntur, luculentissime attestantur: attestantur elegantissimae, et adhuc spirantes ingeniosorum opificum manu ad miraculum expressae imagines, atque effigies: tu ceteras orbis regiones universas quod artium praestantia, et monumentorum multitudine longo superas intervallo, quod ab extremis terrarum partibus non frequentes modo populi; sed et gravi cum apparatu principes, ac potestates te propius spectatum isthuc, et veneraturi conveniant, non regum certe illorum, atque imperatorum tuorum ventosae ambitioni potius, quam summorum Pontificum liberalitati, vereque praedicandae munificentiae debes acceptum referre. Pacifici namque isti tibi veluti novi Salomones extiterunt, qui non ad vanos rumusculos populares aucupandos, verum ad maius summi, et unius Dei, suaeque Religionis decus, atque incrementum, in eo suam omnem gloriam, studia, cogitationes, mentem denique omnem collocarunt, ac defixerunt, ut novis in dies, atque illustrioribus te condecorarent ornamentis. At, si cui post illud Romanorum Antistitum splendidissimum lumen, litterarum, omniumque scientiarum, ac bonarum artium minime ineptum adsertorem e generosis tuis Leonibus decimum, si cui magis, o Roma, debes, Pio IX, cuius felicissimis auspiciis delectaris, profecto debes, qui decessorum suorum, et memorati Leonis prae caeteris indolem, ac sollicitudinem aemulatus, quam acri, quamque pertinaci contentione tibi, tuaeque utilitati, atque amplitudini adlaboret, tute magis existimare potes, quam nos oratione complecti. Praeclara, et commendabilia plane sunt pro tua gloria sempiterna Illius cogitata, incoepta, absoluta, et perfecta; sed praeclarius, et commendabi-

lius multo, quod suspiciunt praesentes, posteri obstupescent, quod nullae temporum iniuriae, nullae rerum vicissitudines, nulla poterit vetustas abolere, praestantissimum illius pontis opus est, quo super extructo Albanus, atque Aricinus montes, vastissima, altissimaque interiecta valle, distantes tam apte, tam affabre, tam belle coniunguntur, ut nihil magis: cuius tanta, adeoque implexa, et elaborata est operum varietas, ut oculis intueri, et cogitatione admirari quidem possis; verbis autem exprimere, et laudibus exaequare non possis. Quamobrem gaude, tibique vehementer plaude, o vera nunc gentium domina, fortunata Roma, deque tanta magnificentia munificentissimae tuae parenti, Christianae Religioni gratulare. At vos, aestimate, si potestis Auditores, Seminariorum, et Collegiorum sacrorum, quae pietate, ac litteris informandae iuventuti sunt passim apud omnes gentes destinata, incomparabiles utilitates. Cum enim, ut sapientissimus rerum aestimator, Tullius opinabatur, *nullum maius, meliusque reipublicae munus afferre possimus, quam si docemus, atque erudimus iuventutem*, potest ne quidquam Seminariis, aliisque ephebeis humanae societati utilius, praestabiliusque excogitari? Ego quidem profecto sic ea mihi animo fingo, et contemplor, ut communita, et obsepta quaedam viridaria, quibus novelli, ut ita dicam, surculi, teneriores consiti puelluli diligenti idoneorum ministrorum opera, atque industria quotidie excoluntur, educantur, et ab omni tum contagiosi aëris vitio, tum malarum belluarum incursu religiose custodiuntur, donec sensim sine sensu adolescant, inque magnas evadant arbores, quae in latissimam demum Societatis terram non ad ornatum magis, quam ad utilitatem transferantur. Et mea quod a veritate minime abhorreat oratio, sanctissimos, ac doctissimos, Ec-

clesiae Sacerdotes, praestantes philosophos, classicos quacunque de re, ac materia scriptores, sapientes magistratus, magnique nominis iurisconsultos, diligentes patresfamilias, egregie cordatos homines, ot singulari virtute cives exploratum cunctis est, e Seminariis prodiisse. Sed non minoris fortasse, quin multo pluris, ut ego sane, et optimi quique arbitrantur, illa facienda sunt commoda, quae in humanam societatem e Religiosis familiis singulos in dies derivantur. Quarum aliae in asperrimorum montium verticibus aut angustis coenobiorum cellulis ab hominum consortio sponte sua separatae in silentio, atque squalore, summaque asperitate miseram trahentes vitam in eo sunt totae, ut nocturnis, ac diurnis precationibus divino numine exorato, publicas, ac privatas averruncent calamitates. Aliae contra urbes, agros, oppida, pagos, atque vicos per nives, ac pruinas nulla unquam deterriti rerum difficultate peragrantes ad vitia ex animis radicitus extrahenda, corruptelas excidendas, moresque componendos manibus, pedibusque contendunt. Aliis praeclarum illud unum opus est, gravibus, et exitialibus etiam morbis implicatis non sine summo vitae periculo noctes, ac dies praesto esse, omnibusque sive ad morborum curationem, et levamentum, sive ad animorum consolationem, quibus indigent rebus, et iis praecipue, quae ad brevi morituros spectant, abunde providere: aliarum sanctissimum munus est pauperiorum, ac tenuiorum tenellos, et vagantes liberos colligendi, nullaque prorsus suscepta mercede litteris, ac pietate informandi: aut e plano, aut e superiori loco sacris habitis concionibus, quae fidei Christianae, quae pietatis, quae cuiusque officii sunt, populis passim edocendis sese aliae penitus devoverunt: ea obstringit alias summa Religio, atque ardentius charitatis studium, ut gravissima sub Turcarum, et Saraceno-

rum servitute gementes homines impenso persoluto pretio, seque interdum metipsis in vincula suffectis optatae restituant libertati : alias vero, ut procellosa, et periculosissima maria praetergressi fame, siti, frigore, aestu, atque aliis innumerabilibus aerumnis oppressi, at minime defatigati diversissimas efferatarum gentium adeant regiones, cumque fidei Christianae notitia, et sacrosanctis mysteriis animorum quoque culturam, et civilem afferant humanitatem. O singularem, ac divinam Christianae Religionis virtutem, et potentiam! O nulla satis eloquentiae facultate hactenus collaudatos, nec unquam collaudandos perennes utilitatum fontes! Verum quibus benevolentiae studiis prosequemur, quibus illustrem Loiolaeam Societatem pro eo, ac digna est, laudibus efferemus? Quae seiunctas nimirum, ac diversas religiosorum aliorum in se unam susceptas partes, atque officia, et constantissima peragit contentione, et mirifica absolvit felicitate. Quae sanctissimi, ac strenuissimi ducis Ignatii auspiciis adversus importuna errorum portenta, et confertas vitiorum catervas adeo forti, et magno impetu singulas ferme in horas decertat, ut nullibi ea tuto consistere patiatur. Quid ea pro publicis utilitatibus laboriosius, quid magis sollicitum, quid magis exercitum fingi, aut dici potest? Quaenam est vitae ratio, quodnam hominum genus, quod per eam diligentissime non excolitur, et exercetur? Ea videlicet ad triremes damnatis, et carceribus mulctatis adest ad solatium, et poenarum molestias emolliendas: illius propriae, et peculiares sunt partes per sacras conciones, et pias, assiduasque exercitationes cuiuscunque gradus, et conditionis animos, ac mentes ad virtutem formare, et mores expolire : illius et laicorum, et clericorum gymnasia moderari, nobiles ephebos ad humanitatis studia, ac pietatem instituere

ceterosque de populo puellos, atque adoloscentes erudire. O mihi, cum Neapoli commorarer, o quam bonis omnibus gratum, quam iucundum, quam suave accidit quotidie spectaculum e divi Sebastiani dicato musis domicilio alacrium puerorum, tironum veluti e Martis palaestra prodeuntium militum multitudinem intueri. De litteris autem, atque scientiis per homines eos, ut eruditi norunt universi, non mediocriter illustratis, quoniam ad exitum properamus, nihil dicam: nihil de integris terrarum ultimarum gentibus, ac nationibus dicam, quas per omnem tempestatem, singulari quadam instituti sui ratione, cum ex efferatis, et immansuetis belluis humanissimas, et mansuetissimas effecissent, et Christi imperio, et societati humanae adianxerunt. Istinc, respondete mihi, si qui adestis, o praeclari melioris rerum status effectores, istinc perniciosi otiosorum greges? Istinc insatiabilium belluonum turba? Istinc intolerandum societatis pondus? Istinc iniquissimis contumeliis appetendi? publicis diris devovendi? ab hominum consortio per summam iniuriam exterminandi? En quo vecordiae tandem humanitatis nescia *humanitariorum* nostrorum charitas progressa est! En quo amentiae processit prodigiosa sapientium nostrorum philosophia! en quo tandem aliquando recidit illustris ille crepantibus buccis iactitatus progressus! Sed iam cum his furiis, et facibus cum his, inquam, exitiosis Societatis portentis stomachari desinamus. Ad te potius, Amplissime Praesul, postremam orationem hanc meam deflectere tantisper patiare, ac de tua impensa, constantique sollicitudine in Christianae Religionis tuenda, augendaque dignitate me tibi ex animo gratulari: de qua sane, cum meridiana luce clariora ipsa per se opera copiose eloquantur, ac testificentur, tacendum omnino mihi est. Vos vero, qui secundum ab

Antistite tenetis perhonorificum locum, vos lectissima Ecclesiae lumina, illustrissimi Canonici, obsecrabo, obtestaborque, illius tanta in re sedulitatem, quantum in vobis est, et opera, et fidelioribus consiliis adiuvetis. Honestissimis vitae exemplis, ac doctrinae salubritate, qua voce, qua scripto, qua publicis sermonibus, qua privatis collocutionibus passim grassantem oppugnetis opinionum perversitatem, atque iis, quae per occultam fraudem ab insanissimis philosophis Religioni inusta sunt, opportunam vulneribus medicinam faciatis. Vos quoque adolescentes optimi, qui ad omne optimarum artium genus, omnemque probitatem in hocce Seminario, concluso velut in hortulo, educamini, precor, quaesoque, ut vigilantissimi pastoris, ceterorumque moderatorum sollertiae, et quotidianis curis obsequentes maxima, qua potestis, animorum contentione in ea studia, in quibus estis, incumbatis, ut, a vobis quod vehementer expectant, navitate vestra Religioni, ac patriae consulere, et prospicere aliquando possitis. Vos demum religiosissimi, mihique carissimi Aversani, quos silentio praeterire magna mihi religio foret, vos et qui nobiles estis, et qui virtute, atque ingenio nobilitatem potestis consequi, ad eam rationem, quae sincerae, et immortalis laudis, honoris, et amplitudinis plena est, cohortabor. A patribus acceptam pulcherrimam avorum Religionem, a qua semper optime stetistis, studiosius in dies complectimini, excolite, amate, liberis, ac famulis vestris insinuate, factorum, ac dictorum sanctitudine ceteris omnibus comprobate. Namque ab hac una Religione publica, et privata pax, tranquillitas, otium, incolumitas, salus, et bona universa, quae beatam efficiant vitam, proficiscuntur, amplificantur, quam diutissime conservantur. Religio patrimonia fortunat, secundas res ornat, adversis perfugium, et so-

latium praebet: Religio aetatis vitio levem, atque ad temeritatem pronam adolescentiam ad virtutem inclinat, et confirmat, senectutis molestias abstergit, ac solatur, iustos, et sapientes facit magistratus; si nobiscum una pernoctet, peregrinetur, rusticetur Religio, si cum ea fecerimus semper, iucundos, ac tranquillos dormiemus somnos, laetos, et incolumes transigemus dies, neque latronum insidias, neque bellorum tumultus, neque periculorum casus, neque alias malorum tentationes experiemur. Auspicatissimum, quaeso vos, Auditores ornatissimi, Regem nostrum, cuius humanissima cum indulgentia singulari civitas isthaec perpetuo certavit fide, atque obsequio, FERDINANDUM II. P. A. F. tum virtutum aliarum, tum vero maxime Religionis exemplar respicite, atque intuemini. Qui, ut primum cepit regni gubernaculum, cum id probe intellexisset, regnorum stabilitatem uno Religionis praesidio contineri, in eam accurandam, atque illustrandam suos omnes tam acriter intendit nervos, nihil ut acrius, nihil dici possit contentius. Longum profecto, atque in orationis exitu importunius, molestiusque esset, vel a fundamentis excitata, vel instaurata, regiaque munificentia instructa templa, locupletata Ecclesiarum sacerdotia, amplissimis affectos honoribus, et largitionibus praesules, ac sacerdotes, perutiles Religionis libertati, atque utilitati conditas leges, et alia permulta piissimi Regis praeclare facta, ac dicta commemorare. Ecquid unquam aut ipse per se, aut per alios e Religione novit esse, quod non susceperit continuo, utque celerrime absolveretur, ac perficeretur, non summa ope adnixus est? Nullum plane industriae reliquit locum, nihil praetermisit, quo longe integerrima, optimoque in gradu staret, et magis, ac magis in suo regno floreret Religio. At contra Religioni

verius; quam suae ipsius virtuti, et consilio, quam militum suorum armis, atque fidelitati et ipse, et universi nos debemus, quod adhuc regnat, quod incolumis regnat, quod summa civium voluntate regnat. Si ex illo tetro, periculosoque bello, quod paucis adhinc annis pestilentissima veluti lues cunctam correptam Europam dilaniavit, ac vastavit, minimam, aut exiguam hoc regnum contraxit labem, si perditissimorum hominum in carissimum Regis caput, ac luctuosam nostrum omnium perniciem districtos saepe gladios declinavimus, si externos, ac domesticos cogitatos evasimus furores, ab una inquam Religione praeclara haec merita repetenda sunt omnia. Illius beneficio assignandum prorsus est, quod occultae in tempore coniurationes detegerentur, et occuparentur, iniqua opprimerentur consilia, fraudes dissiparentur, conatus reprimerentur, novisque impendentibus malis, opportunis ubique initis rationibus, occurreretur. Quae cum ita sint de tanto, tamque excellenti Christianae Religionis dono nobiscum una summopere gaudeamus, et certissimum habeamus, quamdiu eam firmo tenuerimus gradu, cunctas humanarum rerum vicissitudines minime formidandas nobis esse: divino Ea namque, praesentissimoque numine roboratur, et praeclarissimo constat humani generis Servatoris promisso, nullas utcumque bacchantium adversariorum opes adversus Eam praevalituras.

DIXI

EODEM DE ARGUMENTO

AUCTORIS EIUSDEM

Epigrammata tria

I.

Undarum immenso submersis gurgite terris,
Brutorum, atque hominum dum genus omne perit,
Arca, iubente Deo, fabricata est, una salutem
Optatam paucis quae tulit inter aquas.
Nos quoque diluvies iactat vesana malorum,
Quae miseris caedes, exitiumque parant.
Arca est Relligio Christi, superare tumentes
Si fluctus cupis, huc perfuge, tutus eris.

II.

Aequora tuta secat, clavo ducente, sub undas
Clavo orbata ruit protinus acta rates.
Vita rati similis, quam mille pericula versant,
Relligio at Christi firmat, et una regit.
Hac duce, quo tendis, portum securus adibis,
Debebis ventis hac sine ludibrium.

III.

Quos dedit ipse Deus, ritus gens sancta vetustos
  Dum coluit, cunctis floruit aucta bonis:
Pugnantes circum gentes, regesque subegit,
  E domitis victrix hostibus usque redit.
At simul affulsit terris, duce, et auspice Christo,
  Relligio, cuius lex vetus umbra fuit,
Concidit extemplo miseris oppressa ruinis,
  Christo quod renuit subdere dura caput.
Hactenus infelix certa sine lege vagatur
  Longius a patriis dissociata focis.
Iam sapite Isacidae, Christo vos dedite, vestro
  Errorique nova ponite lege modum.
Iungere namque homines, iunctos servare potenter
  Illius est unum Relligionis opus.

FINIS